

resipiscentem, à tanto tamq̃, enormi flagitio absolvere potuisset. 2. Cor. 2, 7, 8.

II. Magister sentēt.

9. Alij blasphemiam in Spiritum sanctum voluerunt esse peccatum ex malitiâ commissum: quemadmodum peccatum ex infirmitate, peccatum sit in Patrem, peccatum verò ex ignorantia, peccatum in Filium.

10. Quae sententia cum primis placere videtur Petro Lombardo sive Magistro sententiarum l. 2. Sent. dist. 43. lit. D. Et Thomae Aquinati in 2.22. q. 14.

11. Rectè autem Iesuita Bellarminus, hac in parte à suis gregalibus dissidens, respondet: Quamvis quodlibet peccatum ex malitia commissum, dici possit peccatum in Spiritum sanctum: (quatenus nimirum id in DEVM, unum essentiâ, Trinum Personis fertur,) non tamen quodlibet peccatum ex malitia, esse illud, de quo Scriptura loquuntur, quod propriè & singulariter dicitur peccatũ in Spiritum sanctum, & quod non remittitur, vel in hoc vel in futuro seculo. Tom. 2. Controversiarum pag. 1327. edit anni 1591.

12. Constat enim ex sententiâ Servatoris, peccatum in Spiritum sanctum, specialem quandam esse blasphemiam, & in summo gradu constitutam: Contrà verò, peccatum ex malitiâ, generale omninò esse peccatum, neque semper cum blasphemia coniunctum.

D. Augu-